

STARCATHERVS ATHLETA SVEONVM.



**S**Tarcatherus Storuercki Sueonis filius, magnæ fortitudinis athleta (unde & nomen accepit) ad Frothonis regis Daniæ aulam peruenit, atq; ob uirtutes ei gratissimus extitit. Is enim excellentius humano habitu corpus à natura fortitus, ita id animi magnitudine æquabat, ut nulli mortalium uirtute cedere putaretur. huius tam latè patens claritas fuit, ut adhuc celeberrima factōrū eius ac nominis opinio perseueret. Neq; enim solūm apud Danos egregijs operum titulis coruscabat, uerūm etiam apud omnes Sueonum Saxonumq; prouincias speciosissima sibi monumēta peperit, ut à quibusdam à dijs Septentrionali-

bus Othino & Thor prognatus uideretur. Nam præter corporis uirtutes etiam omnis generis artibus atq; condendorum carminum peritia insignis fuit, & trium seculorum ætates acquisiuit.